

fiarum S. Martini, & S. Ægidii, quæ percipiunt, & percipere consueverunt a dictis Ecclesiis Dominus Episcopus Aquensis, & capitulum Ecclesiæ Aquensis ec. Actum in dicto parlatorio dicti monasterii anno Dominicæ Nativitatis MCCCXIV., indictione XII., die VI. aprilis testibus præsentibus Presbitero Cresio Capellano hujus monasterii ec.

(1) *Hæc pecunia fuit versa ad emendum Januæ balneum, domos in Callego, & possessiones Alberti de Zingnago, quam emtionem æque ac præcedentem venditionem approbavit D. Porchetus Archiepiscopus Januensis instr. rog., ac scripto in palatio suo Archiepiscopali S. Silvestri.*

*Investitura decimarum Denicis, & Ponzone
Marchionibus de Ponzone.*

276

MCCCXX.

In nomine Domini amen. Anno Nativitatis ejusdem MCCCXX., indictione III., die VII. decembris in Cartosio præsentibus D. Jacobo de Belingeriis de Aquis, Nicolino de Pradasco, & Stephano Johanne de Aquis ad hæc vocatis testibus, & rogatis. Nobilis vir D. Bonifacius marchio de Ponzone suo nomine, & nomine fratrum suorum DD. Joannini Petrini, Cuceti, & Albertini facit fidelitatem R. P. D. Oddono Dei gratia Aquensi Episcopo de parte decimæ Denicis, & Ponzone, quam ipse & fratres sui tenent, & possident, & visi sunt tenere, & possidere sui antecessores in locis prædictis confitendo se dictam decimam locorum prædictorum tenere ab Aquensi Ecclesia, & & cum una spata, quam in manu habebat idem Dominus Episcopus per se, suosque successores eundem D. Bonifacium recipientem pro nomine, & fratrum suorum prædictorum præsentia investivit, salvo jure semper Domini Episcopi, & Ecclesiæ Aquensis, præstans idem D. Bonifacius suo proprio nomine, & prædictorum fratrum suorum fidelitatis debitum juramentum, & inde præceperunt fieri unum instrumentum & plura. Ego Joannes Bestagnus Not. pub. his omnibus interfui, & hanc cartam mihi jussam rogatus scripsi.

Roberti Regis literæ ad populum Bergolii.

277

MCCCXX.

Robertus Dei gratia Rex Jerusalem, & Siciliæ Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Provinciæ ec., Forcalquerii, ac Pedemontis comes discretis viris, rectoribus, ac officialibus, consulibus, populo, & communi Bergolii dilectis fidelibus suis gratiam suam, & bonam voluntatem. Ad notitiam vestram perducimus per præsentem, quod nuper recepimus literas tenoris sequentis.

S. R. M.

Petrus Moureti terræ osculum ante pedes. Serenitati vestræ tenore præsentium notum fiat, quod Dominus Philippus de Valesio carissimus nepos vester die lunæ 7, hujus mensis martii iter suum de Cenomano feliciter versus Lugdunum continuatis dietis suis arripuit. Eodem similiter die D. Carolus de Valesio frater ejus obtenta licentia a Domino Patre suo iter suum de comitatu Valesii arripuit

versus Lugdunum, ita quod infallibiliter Domino concedente per totum diem Sabbati in vigilia Paschæ ad tardius præsentem erunt ibidem. Ego autem de licentia præfati D. Philippi præveni, & applicui Lugdunum, ubi præstolor adventum ipsorum nepotum vestrorum, dimisso judice Luca de Neapoli socio meo penes eundem D. Philippum ad sollicitandum ipsum incessanter. Et quia ad præsens tot sunt in regno Franciæ inundationes aquarum, & itinera lutosa, equi, ac arma, & arnesia ipsorum Dominorum, & aliorum Comitum, Baronum, & gentis armigeræ infra dictum terminum nullatenus poterunt Lugdunum intrare, sed postea venient successive. Præfatus vero D. Philippus monstram totius gentis suæ armigeræ recipiet Lugduni, & deinde ipse cum tota sua gente armigera monstram faciet in Provincia, prout vestræ placuerit Majestati. Quidquid tamen interim fieri contigerit, culmini vestro sollicite referabo. Si placet Ex. Regiæ Gulielmus de Monteregali serviens armorum D. Regis Franciæ, & Cambellanus D. Principis Tarentini de majori parte Nobilium venientium in comitiva præfati D. Nepotis vestri, & de aliis pluribus vos informabit. Script. Lugduni die XXVI. martii III. indictione. Præscripta igitur vestræ prudentiæ duximus intimanda, notificantes vobis, quod instanti die Sabbati erimus in S. Remigio cum Baronibus Provinciæ dante Deo ad ordinandum, quod associent D. Philippum de Valesio, ut cum eorum comitiva magnificentius, & honorabilius ire possit. Nova quoque vobis nunciare curabimus, prout habebimus successive. Vos itaque tam viri probi, strenui, & fideles ex parte vestra continue agere studeatis, ut vestris, & nostris laboribus optatus finis adveniat, & prosperitatis de proximo amœnitas desiderata luceat. Dat. Avenioni die IV. aprilis III. indict. ec.

Aliæ Johannis P. XXII., quibus dat Archidiacono Eccl. Alex. bona hujus, cum fuerint vindicata.

278

MCCCXXI.

Joannes Episcopus ec. Dilecto filio Oddoni Guasco Archidiacono Eccl. Alex. salutem ec. Grata devotioni studia, quibus erga Nos, & Romanam Ecclesiam digne ... merentur, ut petitiones tuas in iis præsertim, quæ tuum, & Archidiaconatus tui respiciunt commodum, favorabiliter ad exauditionis gratiam admittamus. Oblata siquidem nobis tua petitio continebat, quod civitas Alexandriæ antiquis temporibus Episcopum habuerit per tempora diuturna, dictaque civitas Episcopo caruit a tempore, cujus memoria non existit; & ex tunc tam commune dictæ civitatis, quam personæ singulares de dicto communi civitatis ad ejusdem bona immobilia ad mensam Episcopalem spectantia manus occupatrices, prout eis secundum varietates temporum favor potentiæ temporalis suppetiit, extendunt; tuque Divino, & Apostolico favore, ac tuorum assistentia recuperare desideras dicta bona, & propterea super iis intrepide procedere, ac subire non dubitas magna onera expensarum. Quare nobis humiliter supplicasti, ut hujusmodi bona per te, illa